Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quo uenerunt in locum territorii predicti sauinensium in ciuitate gauis in cryptam quandam et fecit secundum ordinem christianum et cathecizauit cerealem et baptizauit eum in cripta prefatam. Eadem hora uidit cerealis spiritum sanctum descendentem super se. et confestim clamauit uoce magna dicens. Ecce uideo lucem super splendorem solis descendentem super me. Igitur sacrificauit beatus sixtus et obtulit primum queque sancta libamina. et participati sunt omnes sacrosanctum corpus et sanguinem domini nostri ihesu christi et confortati sunt. Confirmauitque eos in fide et constantia gratias agens deo. recessitque ab eis. Eodem uero tempore ceperunt officiales rei ecclesie querere. eique obseruationibus excubare. Quidam autem uincentius nomine archarius uenit ad ciuitatem gauis ut exactione auri publici acciperet. Qui cum peruenisset ad eos intuitus eum cerealis dixit ei. Scias quia nos iam causam amisimus temporalem: ut fruamur eterna. quia temporalia cum suis amatoribus regibus ac imperatoribus et principibus. et potestatibus presentis seculi uana esse cognouimus. Tunc uincentius exclamauit uoce magna dicens. O princeps mundi et gubernator rei publice quia seductus es dignitate suffultus uicarius et dereliquisti deos. querens fantasmata. Et iratus ualde cito cucurrit et nunciauit hec adriano. qualiter cerealis uicarius pecuniis rei publice cumulatus factum se esse christianum fateretur. Quo audito adrianus eadem hora misit quendam licinium consularem ut sibi cerealem uicarium presentaret. Qui cum uenisset in super dictum locum sauinensium. tenuit cerealem uicarium simul cum beato Gethulio. et amantio. seu primitiuo. et mox scriptum direxit quid de eis adrianus fieri iuberet. His auditis adrianus hec precepit dicens. ut aut immolent diis. aut certe incendio cremarentur. Sexto idus maias die qua lecta est iussio epistole adriani imperatoris iussit licinius in ciuitate tyburtina tribunal sibi preparari. et predictos sanctos uinctos sibi presentari. Cumque presentati fuissent talibus eos uerbis aggreditur dicens. Cerealis sic despexisti dignitatem tuam. ut precepta principum quibus dignatur in uniuerso mundo contempnere uidearis. Cerealis dixit. De thesauro publico de liminatione perfecta tributi publico. et meo domino ihesu christo me seruire premitto et uita frui eterna credo. Licinius dixit. Desideras mori an uiuere: dicito mihi. Cui cerealis dixit. Ego si non desiderarem uiuere: christum non confiterer. Nam sacrificium uestrum mors est. Tunc iratus licinius dixit ad beatum gethulium. Sacrifica diis. ioui et marti. nam alioquin uitam tuam non exalare precipiam. Sanctus gethulius dixit. Non exalabo uitam eam. nam si non fero magis magisque augebo. Et subridens exultauit in domino. Licinius uero accensus iracundia iussit eum expoliari et cedi dicens. Precepta principum contempnere noluit: et diis magnis obaudire. Et cum diu cederetur beatus gethulius. magnificabat dominum clara uoce dicens. Gratias do patri omnipotenti et domino ihesu christo. quia offero ei mundum sacrificium. Licinius dixit. Quod est sacrificium mundum. Beatus gethulius dixit. Spiritum contribulatum et cor contritum et humiliatum deus non spernit. Licinius dixit. Leuate eos simul cum ceteris omnes. et date in custodiam publicam in oppido super scripto. fueruntque in carcere diebus xxvii. Veniens autem licinius ad urbem romam nunciauit omnia que facta fuerant adriano. Tunc adrianus furore repletus missis militibus suis iussit eos incendio tradi. Eductique sunt de fundo capolis uia salaria ab urbe roma plus minus miliario. xxx. super fluuium tyberim ad portam sauinensium. et ligatis manibus ac pedibus et fustibus suppositis igni sunt traditi. sed nequaquam preualuit ignis beatum gethulium concremare. sed magis confortabatur in domino et solutus a uinculis in medio circumstantium stabat glorificans ihesum christum dei filium. Et milites quidem uidentes minimam suam preualere industriam quod ignis eum minime consumere potuisset; eradicatis tamen fustibus percucientes eum. colliserunt caput eius. inuocansque dominum emisit spiritum. Cuius corpus collegit uxor eius symphorosa nomine. et sepeliuit eum cum gloria et honore: in territorio sauinensium in loco qui nuncupatur capris. in oppido supradicto trans fluuium superiore marenario predii sui. Regnante domino ac saluatore nostro ihesu christo. Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per.

Passio Basilidis martiris

Ab ciuitate orientali cum esset beatus BASILIDIS in officio platonis prefecti. dixit ei dominus ihesus christus. Ego te uolo tollere de officio platonis prefecti et in meo officio te esse. Respondit basilidis. Domine meus ihesu christe uis me lapidibus mori. Cui respondit